



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Bernardi Primi Clarævallensis Abbatis, Ordinis
Cisterciensium Antesignani, melliflui Ecclesiæ Doctoris
Sermones In Dominicis & Festa per annum**

Bernardus <Claraevallensis>

Feria quarta Hebdomadæ Santæ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39254

FERIA QUARTA HEBDOMADÆ SANCTÆ,

De Passione Domini,

S E R M O.

Vigilate animo, Fratres, ne infructuosè vos huius temporis sacramenta pertranseant. Copiosa est benedictio: date receptacula munda; devotas animas, sensus vigiles, affectus sobrios, puras conscientias exhibere tantis charismatibus gratiarum. Nimirum admonet vos sollicitudinis huius non modo specialis ipsa conversatio, quam professi estis: sed & generalis Ecclesiæ observatio, cuius filii estis. Universi siquidem Christiani sacra hac septimana, aut præ solito, aut præter solitum, pietatem colunt, modestiam exhibent, humilitatem sectantur, induunt gravitatem, ut Christo patienti quodammodo compati videantur. Quis enim tam irreligiosus qui non compungatur? quis tam intolens ut non humilietur? quis tam iracundus ut non indulgeat? quis tam deliciosus ut non abstineat? quis tam flagitiosus ut non contineat? quis tam maliciosus, ut non poeniteat his diebus? Merito quidem. Nempe adest *Passio* Domini utique hodie terram movens, petras scindens, aperiens monumenta: prope est etiam *Resurrectio* eius: in qua solemnitatem celebrabitis altissimo Domino: utinam usque in altissima quæ fecit magnalia alacritate & aviditate spiritus subeuntes. Nihil in mundo poterat melius fieri quàm quod factum est à Domino his diebus. Nihil mundo poterat melius vel utilius commendari, quàm ut ritu perpetuo celebret, & singulis annis memoriale eius in desiderio animæ, & memoriam abundantia suavitatis suæ eructet. Utrumque autem propter nos, quod in utroque nobis salutis fructus, in utroque vita spiritus nostri. Mirabilis *Passio* tua Domine JESU, quæ passiones omnium nostrum propulsavit: propitiata est omnibus iniquitatibus nostris, & nulli unquam pesti nostræ invenitur inefficax. Quid enim tam ad mortem, quod non tua morte salvetur.

In hac igitur *Passione*, Fratres, *tria* specialiter convenit intueri, *opus, modum, causam*. Nam in opere quidem Patientia, in modo Humilitas, in causa Charitas commendatur. Patientia autem singularis, quod videlicet cum supra dorsum eius fabricarent peccatores, cum sic extendetur in ligno, ut dinumerarentur omnia ossa eius: cum fortissimum illud propugnaculum, quod custodit Israel, undique foraretur, cum foderentur manus & pedes: sicut agnus ad occisionem ductus sit, & tanquam ovis coram tondente, non aperuerit os suum, non adversus Patrem murmurans, à quò missus fuerat: non adversus humanum genus, pro quo quæ

*Christianorū
in hebdomada
sancta religio
& pietas.*

*Passionis &
meriti Christi
vis & effi-
cacia.*

*In Passione
tria conside-
randa: opus,
modus, causa.*

*In opere pa-
tientia.*

Feria IV. Hebdomadæ Sanctæ, Sermo. 215

quæ non rapuit exolvebat: non denique vel contra populum ipsum peculiarem sibi, à quo pro tantis beneficiis tanta mala recipiebat. Plectuntur aliqui pro peccatis suis, & humiliter sustinent: hoc ipsum tamen eis ad patientiam reputatur. Flagellantur alii non tam purgandi quàm probandi, coronandique, & maior in eis patientia comprobatur & commendatur. Quomodo non maxima conseatur in Christo, qui in funiculo hæreditatis suæ, ab his quibus specialiter advenerat salvator, crudelissima morte multabatur sicut fur, nullum omnino peccatum, nec actu proprio, nec contractu, sed nec in quo crescere posset, habens? Nimirum in quo habitat omnis plenitudo divinitatis, non umbraticè, sed corporaliter: in quo DEUS est mundum reconcilians sibi, non figurativè, sed substantialiter: qui denique plenus est gratiæ & veritatis, non cooperativè, sed personaliter, ut faciat opus suum. *Alienum est opus eius ab eo* (Esaias loquitur ^a) quia & opus suum fuit, quod dedit ei Pater ut faceret: & alienum ab eo, ut talis talia sustineret. Ita ergo habes in opere patientiam.

Quanta in Christo patientia.

^a Esa. 28. f

Nam *modum* ipsum si diligenter attendas non modò mitem, sed & humilem corde cognosces. Nempe in humilitate iudicium eius sublatum est, cum nec ad tantas blasphemias, nec ad falsissima quæ sibi obiciebantur crimina responderet. *Videmus*, inquit ^b, *eum & non erat ei aspectus*, nec speciosum forma præ filiis hominum, sed opprobrium hominum, & *tanquam leprosum: novissimum virorum*, planè *virum dolorum à DEO percussum & humiliatum: ita ut nulla esset ei species neque decor*. O novissimum, ô altissimum, ô humilem & sublimem, ô opprobrium hominum & gloriam Angelorum. Nemo illo sublimior, nemo humilior. Denique sputis illitus est, opprobriis saturatus est, morte turpissima condemnatus est, cum sceleratis deputatus est. Nihilne merebitur vel ista humilitas, quæ hunc habet modum, inò quæ tam est ultra modum? Sicut est patientia singularis, sic & humilitas admirabilis, utraque sine exemplo.

Modus passionis Christi.

^b Esa. 53. a

Utramque tamen magnificè causa ipsa commendat: nimirum charitas est. Propter nimiam quidem charitatem suam, qua dilexit nos DEUS, ut servum redimeret, nec Pater Filio, nec sibi Filius ipse pepercit. Verè nimiam, quia & mensuram excedit, modum superat, planè supereminens universalis. *Maiorem*, inquit ^c, *charitatem nemo habet, quàm ut animam suam ponat quis pro amicis suis*. Tu maiorem habuisti Domine, ponens eam etiam pro inimicis. Cum enim adhuc inimici essemus, per mortem tuam & tibi reconciliati sumus, & Patri. Quænam alia videbitur esse

^c Ioan. 15. b

Dd 3

vel

*Charitas Christi
se excimia.*

*Christi mors
spontanea.*

c Ioan. 19. f

*Christi domi-
nium in mor-
tens.*

*Christi mors
omnia peccata
expugnat.*

*Triplex pec-
cati genus*

vel fuisse vel fore huic similis charitati? Vix pro iusto quis moritur; tu pro impiis passus es: moriens propter delicta nostra, qui venisti iustificare gratis peccatores, servos facere fratres, captivos cohæredes, exules reges. Nec sanè aliud aliquid patientiam hanc & humilitatem æquè illustrat, quam quod tradidit in mortem animam suam, & peccata multorum tulit, etiam pro transgressoribus rogans, ut non perirent. Fidelis sermo, & omni acceptione dignus. Quia enim voluit, oblatum est. Non modò voluit & oblatum est, sed quia voluit. Solus nimirum potestatem habuit ponendi animam suam: nemo eam abstulit ab eo. Ultero cum accepisset acetum, dixit: *Consummatum est* ^c. Nihil restat implendum: jam non est quod expectem. *Et inclinato capite* (factus obediens usque ad mortem) *tradidit spiritum*. Quis tam facilè quando vult dormit? Magna quidem infirmitas mori: sed planè sic mori virtus immensa. Nempe quod infirmum est Dei, fortius est hominibus. Potest humana vefania sibi ipsa in mortem sceleratas injicere manus, sed non hoc est ponere animam suam; urgere eam magis, & violenter abrumpere, quàm ad nutum ponere est. Tibi, impie Juda, misera plane facultas fuit non ponendi animam, sed pendendi: nec tradente te, sed trahente laqueo nequissimus ille spiritus tuus exivit; non emissus à te, sed amissus. Solus in mortem tradidit animam suam, qui solus virtute propria regressus est ad vitam. Solus potestatem habuit ponendi, qui solus facultatem æquè habuit liberam resumendi, imperium habens vitæ & mortis.

Digna ergo charitas tam inæstimabilis, humilitas tam admirabilis, patientia tam insuperabilis. Digna planè tam sancta, tam immaculata hostia, tam acceptabilis. Dignus est Agnus qui occisus est accipere fortitudinem, facere ad quod venit, tollere peccata mundi. Ego autem dico peccatum triplex quod invaluit super terram. Putatis quod dicere velim concupiscentiam carnis, & concupiscentiam oculorum, & superbiam vitæ. Funiculus triplex est, qui difficile rumpitur: propterea multi trahunt, imò trahuntur hoc funiculo vanitatis, sed prior ille ternarius non immeritò prævalet in electis. Quomodo enim non illius patientiæ recordatio omnem arceat voluptatem? Quomodo non illius humilitatis consideratio superbiam vitæ prorsus extundat? Cum charitas illa planè digna eius meditatione sic mentem occupet, sic totam sibi vendicet animam, ut omnino vitium curiositatis exsufflet. Fortis igitur contra hæc passio Salvatoris.

Sed aliud ego triplex æquè peccatum, quemadmodum virtus crucis expugnat, dicere cogitavi, & id forte utilius audiatur. Primum quidem *originale*, secundum *personale* dixerim, tertium *singulare*. Et originale

Feria IV. Hebdomadæ Sanctæ, Sermo. 217

nale quidem maximum illud delictum vocatur; quod à primo Adam contrahimus, in quo peccavimus omnes, pro quo morimur universi. Maximum planè, quod sic totum non modo genus humanum, sed & quemlibet ipsius generis occupat, ut non sit qui evadat, non sit usque ad unum. A primo homine usque ad novissimum protenditur: & in singulis quoque à planta pedis usque ad verticem diffunditur hoc venenum. Sed & aliter nihilominus in universam dilatatur ætatem, ab ea scilicet die, qua sua quemque concipit, usque ad eam, qua communis eum recipit mater. Alioquin unde grave jugum super omnes & totos filios Adam, idque à die exitus de ventre matris eorum, usque in diem sepulturæ in matrem omnium? Infordibus generamur, in tenebris confovemur, in doloribus parturimur. Ante exitum miseram oneramus matres, in exitu more viperæ laceramus: mirum quod non ipsi pariter laceramur. Primam vocem plorationis edimus, meritò quidè, utpote vallem plorationis ingressi ut nobis illud sancti Job ex omni parte possit aptari: *Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis*^d. Quàm verum verbum hoc sit, non nos verba docuere, sed verbera. *Homo* (inquit) *natus de muliere*, nihil abiectius. Et ne forte ex ipsa sibi voluptate corporeorum sensuum, quam de sensibilibus hauriat, blandiatur; in ipso statim introitu de exitu quoque terribiliter admonetur, cum dicitur, *brevi vivens tempore*. Ac ne spatiosum illud quod inter ingressum, & egressum relinquitur, sibi liberum putet, *repletur*, ait, *multis miseriis*. Multis & multiplicibus (inquam) miseriis corporis, miseriis cordis, miseriis cum dormit, miseriis cum vigilat, miseriis quaquaversum se vertat. Nimirum ipse quoque natus ex Virgine, imo factus ex muliere, (sed benedicta in mulieribus) qui loquitur ad matrem^e, *Mulier, Ecce Filius tuus*: etiam brevi vivens tempore super terram; & nihilominus multis est repletus miseriis, in illa brevitate appetitus infidiis, interrogatus contumeliis, pulsatus injuriis, vexatus suppliciis, convitiis laecessitus.

Tu ne hanc sufficere dubites obedientiam, quæ reatum omnem primæ prævaricationis absolvat? imò verò non sicut delictum, ita & donum. Nam peccatum ex uno in condemnationem; gratia autem ex multis delictis in iustificationem. Et grave quidem omnino delictum illud originale, quod non solum personam infecit, sed & naturam. *Personale* tamen cuique gravius est cum jam laxatis habenis exhibemus undique membra nostra arma iniquitatis peccato: non modo jam alieno, sed & proprio crimine compedit. *Singulare* verò est gravissimum quod commissum est in Dominum maiestatis, cum viri impii virum justum injuste occiderunt, & sacrilegas manus, in ipsum Dei Filium injecerunt crudelissimi

Cruce & morte Christi expugnatum.
1. Originale.

Hominiis miseria.

*d Iob. 14. a

e Ioan. 19. a

Item Personale & Singulare.

lissimi homicida: imò (si fas est dicere) etiam Deicida. Quid duo præcedentia ad tertium? Ad hoc expalluit & expavit tota machina mundialis, & pene in antiquum chaos sunt omnia revoluta. Ponamus aliquem de regni principibus terram regiam populasse in vastitate hostili: ponamus alium, cum esset de convivio & consilio regis, unicum eius filium proditoriis manibus suffocasse. Nunquid non primus respectu secundi innocens videbitur & immunis? Sic est omne peccatum quantum ad hoc peccatum: & tamen hoc peccatum in se pertulit, qui seipsum fecit peccatum, ut de peccato damnaret peccatum. Per hoc enim omne peccatum tam originale quam personæ deletum est, & ipsum quoque singulare eliminatum est per se ipsum.

Argumentum mihi est à maximo, quod duo minora sunt explosa. Et ecce argumentum. Peccatum multorum tulit, & pro transgressoribus rogavit, ut non perirent ^f: *Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt.* Volat irrevocabile verbum tuum Domine, nec revertetur ad te vacuum: sed faciet ad quod misisti. Vide nunc opera Domini, quæ posuit prodigia super terram. Flagellis cæsus est, spinis coronatus, clavis confossus, affixus patibulo, opprobriis saturatus, omnium tamen dolorum immemor, *Ignosce*, ait, *illis*. Hinc multæ miseriæ corporis, hinc multæ misericordiæ cordis, hinc dolores, hinc miserationes, hinc oleum exultationis, hinc sanguinis guttæ decurrentis in terram. Misericordiæ Domini multæ, sed & miseriæ Domini multæ. Vincant ne miseriæ misericordias, an misericordiæ miseras superabunt? Vincant misericordiæ tuæ antiquæ Domine, vincat sapientia malitiam. Magna enim illorum iniquitas, sed nunquid non major pietas tua Domine? Multum per omnem modum. *Nunquid redditur pro bono malum*, ait, *quia foderunt foveam animæ meæ?* Planè foderunt impatientiæ foveam, occasiones indignationis plurimas & quam maximas ministrantes. Sed quid horum fovea ad abyssum mansuetudinis tuæ? Retribuentes mala pro bonis foveam foderunt, sed charitas non irritatur, non præcipitatur, nunquam excidit, non in foveam ruit, & pro retributis malis cumulat bona. Absit ut muscæ morituræ exterminet suavitatem unguenti, quod de tuo corpore fluit: quia apud sinum tuum misericordia, & copiosa apud eum redemptio. Muscæ morituræ miseriæ sunt, muscæ morituræ blasphemias sunt, muscæ morituræ insultationes sunt quas tibi reddit generatio prava & exasperans.

Tu autem quid? In ipsa elevatione manuum tuarum, cum jam sacrificium matutinum in holocaustum vespertinum transfiret: in ipsa inquam virtute incensi, quod coelos ascendebat, terram operiebat, inferos respergebat. exaudiendus pro reverentia tua clamas ^b: *Pater ignosce illis,*

quia

f Luc. 23. c

Invisita Christi
Charitas
& misericordia.

g Hier. 18. c

Christi patientia & benignitas tot adversis, plagis, iniuriis lacestis, non cessat.

h Marc. 15.

quia nesciunt quid faciunt. O quam multus es ad ignoscendum! ô quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine! O quam longè cogitationes tuæ à cogitationibus nostris! ô quam firmata est etiam super impios misericordia tua! Mira res. Ille clamat, *Ignosce: Judæi, Crucifige*. Molliti sunt sermones eius super oleum, & isti sunt jacula. O charitas patiens, sed & compatiens! Charitas patiens est, sufficit. Charitas benigna est, cumulus est. Noli vinci à malo; charitas abundans, sed vince in bono malum; superabundans est. Non enim sola patientia, sed & benignitas Dei ad pœnitentiam Judæos adduxit: quia *benigna* charitas, etiam quos tolerat, amat, & amat tam ardentè. *Patiens* charitas dissimulat, expectat, sustinet delinquentem: sed *benigna* trahit, adducit, converti facit ab errore viæ suæ: denique cooperit multitudinem peccatorum. O Judæi, lapides estis, sed lapidem percutitis molliorem, de quo resonat tinnitus pietatis, & ebullit oleum charitatis! Quomodo potabis Domine desiderantes de torrente voluptatis tuæ qui sic perfundis crucifigentes te oleo misericordiæ tuæ?

Lue. 23.
Ignitum Bernardi eloquiū.

Christi erga impios Iudæos, tortores suos, mira benignitas & patientia.

Patet igitur quia hæc passio potentissima est ad exhaurienda omnium genera peccatorum. Sed quis scit si data est mihi? Mihi data est, quia alteri dari non potuit. Nunquid Angelo? Sed ille non eguit. Nunquid diabolo? Sed ille non resurgit. Deniq; non in similitudinem Angelorum, absit autem ut in similitudinem dæmonum, sed *in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo*, exinanivit semetipsum, formam servi accipiens. Filius erat: & factus est tanquam servus. Non solum formam servi accepit, ut subesset: sed etiam servi, ut vapularet: & servi peccati, ut pœnam solveret, cum culpam non haberet. *In similitudinem*, inquit *hominum*, non hominis: quia prius homo nec in carne peccati, nec in similitudine carnis peccati *creatus* est. Christus enim in universali hominum miseria pressius & profundius se immerfit, ne subtilis ille diaboli oculus magnum hoc pietatis deprehenderet sacramentum. Ideo habitu & omni habitu inventus est, *ut homo*: nec in eo quantum ad naturæ debitum signum aliquod singularitatis apparuit. Quia enim inventus est, ideo crucifixus. Paucis autem revelavit seipsum, ut essent qui crederent: reliquis autem absconditus est: *quia si cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent* ^k. Ad hoc etiam illi singulari peccato ignorantiam copulavit, ut sub aliqua justitiæ umbra ignorantibus posset ignosci.

*; Philip. 2.

k 1. Cor. 2. 8

Duo autem nobis in hæreditatem reliquerat ille vetustus Adam qui fugit à facie Dei, laborem videlicet, & dolorem: *laborem* in actione, *dolorem* in passione. Non hoc ipse audierat in paradiso, quem acceperat ut operaretur, & custodiret illum. Operaretur delectabiliter, custodiret

Labor & dolor nobis ex peccato primæ parentis adherent:

fideliter & sibi & posteris suis. Christus Dominus laborem & dolorem
 consideravit, ut traderet eos in manus suas: imò se magis in manus eo-
 rum, infixus in limo profundi: & intraverunt aquæ istæ usque ad ani-
 mam eius. Vide (ad Patrem inquit) *humilitatem meam, & laborem*
 7 Psal. 24. d. *meum: quia pauper ego sum, & in laboribus à juventute mea**. Laboravit
 * Psal. 87. *sustinens, manus eius in laboribus servierunt. De dolore vide quid di-*
 m Thren. 1. d. *xerit^m: O vos omnes qui transitis per viam, attendite & videte si est dolor si-*
 cicut dolor meus. *Verè languores nostros ipse tulit, & infirmitates nostras ipse*
 n Esa. 53. b. *portavitⁿ, vir dolorum, pauper & dolens, tentatus per omnia absque*
 peccato. Et in vita passivam habuit actionem, & in morte passionem a-
 ctivam sustinuit, dum salutem operaretur in medio terræ. Proinde me-
 mor ero quandiu fuero, laborum illorum, quos pertulit in prædicando,
 fatigationum in discurrendo, tentationum in jejunando, vigiliarum in o-
 rando, lachrymarum in compatiendo. Recordabor etiam dolorum e-
 ius, conviciorum, sputorum, colaphorum, subsannationum, exprobatio-
 num, clavorum, horumque similium, quæ per eum & super eum abun-
 dantiùs transierunt. Facit ergo mihi fortitudo, facit similitudo, sed si
 accesserit etiam *Imitatio*, ut sequar vestigia eius. Alioquin etiam exqui-
 retur à me sanguis justus, qui effusus est super terram, nec immunis ero
 ab illo tam singulari scelere Judæorum: quòd videlicet tantæ charitati
 ingratus fuerim; quòd spiritui gratiæ contumeliam fecerim; quòd
 sanguinem testamenti pollutum dixerim; quòd conculcaverim filium
 D E I.

Sunt plerique qui laborem & dolorem patiuntur; sed necessitas in
causa est, non voluntas: & hi non sunt conformes imagini filii D E I.
Sunt qui ex voluntate sistent: sed non eis est fors neque pars in sermo-
ne isto. Vigilat tota nocte luxuriosus, non solum patienter, sed & liben-
ter ut suam expleat voluptatem: vigilat raptor vestitus ferro, ut diripiat
prædam: vigilat fur, ut domum perfodiat alienam. Sed hi omnes & ho-
rum similes longè sunt à labore & dolore quem considerat Dominus.
Homines autem bonæ voluntatis, qui Christiana voluntate divitias pau-
peritate commutaverunt, vel etiam non habitas tanquam habitas con-
tempserunt, relinquentes omnia propter ipsum, sicut & ipse reliquit om-
nia propter ipsos, sequuntur eum quocunque ierit. Huiusmodi autem
imitatio validissimum argumentum mihi est, quòd Passio Salvatoris, &
similitudo humanitatis in meam transeunt utilitatem. Hic enim sapor,
hic fructus est & laboris & doloris.

Vide ergo quam magnificaverit facere tecum illa maiestas. De o-
 mibus quæ in cælo & sub cælo sunt, *dixit, & facta sunt^o*. Et quid
 7 Psal. 148. *facilius*

Christus nos
 vicissim labo-
 re & dolore
 redemit.

Diversa ho-
 minum stu-
 dia & labo-
 res.

Argumentum
 passionis Chri-
 sti in nobis
 fructificantis.

Feria IV. Hebdomadæ Sanctæ, Sermo. 221

facilius dictu? Sed nunquid solo verbo factum est, cum te quem fecerat, refecit? Triginta & tribus annis super terram visus, & cum hominibus conversatus, etiam habuit in factis calumniatores, in dictis insultatores, non habens ubi caput suum reclinaret. Quare hoc? Quia Verbum à *Opus Redem-* sua subtilitate descenderat, & grossius acceperat indumentum. Nam *ptionis quam* caro *aratum.* factum fuerat, & ideò grossiori & morosiori opere utebatur. Sicut autem cogitatio vestit sibi vocem corpoream absque sui diminutione, vel ante vocem, vel post vocem: sic Filius Dei assumpsit carnem, non commixtionem passus neque diminutionem, nec ante carnem, nec post carnem. Apud Patrem invisibilis, sed hic manus nostræ tractaverunt de *Christi liber-* verbo vitæ: & quod erat ab initio, vidimus oculis nostris. Hoc autem *tas in mode-* Verbum quia carnem purissimam & animam sanctissimam unierat sibi, *randis actio-* liberè moderabatur actiones corporis sui, tum quia sapientia & iustitia erat; tum quia nullum habebat prorsus legem in membris suis repugnantem legi mentis suæ. Meum verbum nec sapientia nec iustitia est, sed tamen utriusque capax, & possunt ei hæc abesse & adesse: abesse autem facilius. Familiare enim magis jam nobis est carnis nostræ servire vitiis, quàm actiones & passionis eius ordinare: pro eo quod omnis ætas ab adolescentia prona est in malum, inter flagella quoque & gladios, etiam sub discrimine mortis, ad suas ambiens voluptates.

Felix, cuius cogitatio, (hoc est verbum nostrum) omnes actiones suas ad iustitiam dirigit, ut & intentio sana sit, & operatio recta. Felix, qui passionis corporis sui propter iustitiam ordinat, ut quicquid patitur, propter Dei filium patiat; quatenus & à corde tollatur murmuratio, & in ore versetur gratiarum actio, & vox laudis. Qui sic extulit se; iste tollit grabatum suum, & vadit in domum suam. Grabatum nostrum corpus est, in quo prius languidi jacebamus, servientes desideriis & concupiscentiis nostris. Nunc portamus illud, cum spiritui obedire cogimus: & mortuum nostrum portamus; quia corpus mortuum est propter peccatum. Ambulamus tamen, non currimus: quia *corpus quod corrumpitur, aggravat animam, & deprimit terrena inhabitatio sensuum multa cogitantem P.* Ambulamus etiam in domum nostram. In quam domum? *p Sap. 9. d* In matrem omnium, quia *sepulchra eorum domus illorum in æternum 1. q Psal. 48.* Vel potius in domum nostram, quam *habemus ex Deo non manufactam, æternam in cælis r.* Quid sub hoc onere ambulamus, posito eo quid putatis quomodo curremus? quomodo vocabimus? Planè super pennas ventorum. Amplexatus est nos Dominus JESUS per laborem & dolorem nostrum. Amplectamur eum nos quoque vicariis quibusdam amplexibus propter iustitiam & ad iustitiam suam; actiones ad iustitiam

E e 2

dirigen-

f Cant. 3.
 † Gen. 32. f

u Cant. 1. a

dirigendo, passiones propter iustitiam sustinendo. Dicamus quoque cum Sponsa *S*: *Tenui eum, nec dimittam.* Dicamus etiam cum Patriarcha: *Non dimittam te, nisi benedixeris mihi* ^t. Quid enim jam superest nisi benedictio? Quid post amplexum, nisi osculum restat? Si sic adhererem DEO, quomodo non jam clamare liberet ^u: *Osculetur me osculo oris sui?* Ciba nos interim Domine lacrymarum pane, & potum da nobis in lacrymis in mensura: donec perducas nos ad mensuram bonam & conferatam & coagitatam, quam dabis in sinus nostros, qui es in sinu Patris super omnia benedictus DEUS in sæcula, AMEN.

IN COENA DOMINI;

De Baptismo; Sacramento Altaris; & ablutione pedum.

S E R M O I.

Sanctitas horum dierum.

HI sunt dies quos observare debemus: dies pleni pietate & gratia, quibus etiam sceleratorum hominum mentes ad pœnitentiam provocantur. Tanta siquidem est vis sacramentorum eorum quæ diebus istis recoluntur, ut possint ipsa quoque lapidea scindere corda, & pectus omne licet ferreum emollire sufficiant. Denique videmus usque hodie ad passionem Christi non modò cœlestia compati, sed terram moveri, & petras scindi, & in confessionem peccatorum aperiri monumenta. At verò quoniam sic est in spiritualibus cibis, sicut & in corporalibus, ut in quibusdam statim præsto sit sapor, in aliquibus oporteat laborare: quæ manifesta sunt, nostro non indigent ministerio: quæ verò clausa sunt, diligentem volunt habere consideratorem. Neque enim tradit mater parvulo nucem integram, sed frangit eam, & nucleum porrigit. Sic & ego vobis, fratres charissimi, si possem, sacramenta quæ clausa sunt, aperire debueram: sed quia minus possum, rogemus ut vobis pariter & mihi mater Sapientia frangat nuces istas, nuces, inquam, quas protulit sacerdotalis virga virtutis, quam emisit Dominus ex Sion. Multa quidem sunt sacramenta, & scrutandis omnibus hora non sufficit. Fortassis etiam aliqui vestrum imbecilles sunt ad tanta simul capienda. De tribus itaque sacramentis * quæ satis congrua sunt huic tempori, dicendum erit quod Dominus ipse donaverit.

* v. NOTAS.

Sacramentum quid.

Sacramentum dicitur sacrum signum, sive sacrum secretum. Multa siquidem fiunt propter se tantum: alia verò propter alia designanda, & ipsa dicuntur signa, & sunt. Ut enim de usualibus sumamus exemplum: datur annulus absolute propter anulum, & nulla est significatio: datur ad investiendum de hæreditate aliqua, & signum est: ita ut jam dicere possit qui accipit: Annulus non valet quicquam, sed hæreditas est quam